



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis**

**Marchantius, Jacobus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1655**

II. De modo adjuvandi Moribundum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41699**

*rochiale Leodiense, fol. 141.* agens de Extrema-Untione. Ubi tamen cave errorem quorundam, qui ministrantes Untionem, jubent recitari *Confiteor* per ægrum, vel assistentes, deinde formam jam dictam pronunciant, qui eam in Parochiali ibi reperiunt: nec advertunt esse formam sacramentalem, quæ non est danda, nisi cum æger peccatum aliquod confitetur. Error autem iste gravis est, nec tamen infrequens.

## CAPUT II.

*Demodo adjuvandi Moribundum.*

**Q**UAERO. *Quis optimus modus moribundum adjuvandi?* R. I. hortandus est, ut Symbolum Apostolorum plenâ fide recitet vernaculo sermone; vel si non potest ore, mente id faciat cum Sacerdote, & annuat se intelligere, & protestari se in ea fide velle mori, & perseverare. Iuvat enim plurimum - ut sicut in ingressu vitæ per Baptismum, Symbolum per se, vel per susceptorem quisque recitat; ita & in egressu ex hac vita idem

Nn                      repe-

repetat. Sic *S. Petrus Martyr* in ultimo spiritu digito suo proprio cruore asperso scribebat in terra, *Credo in Deum Patrem Omnipotentem.*

2. Hortandus est, ut spem vivam & firmam concipiat vitæ æternæ, non tam suis innixus meritis, quam meritis Domini nostri Jesu Christi. Quod si diffidentiâ, torpore, pusillanimitate anxius aut dubius appareat, bonum est illi insinuare illud ex Psalmis: *In te Domine speravi, non confundar in æternum.* Item illud; *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.* Ut hæc & similia frequenter ore & corde repetat, adjuvandus est.

3. Excitandus est in illo actus frequens contritionis, & amoris Dei super omnia, detestando omnia peccata vitæ præteritæ, propter Deum summum Bonum, summo amore amandum.

4. Excitandus est in eo actus perfectæ resignationis, & oblationis sui, secundum animam, & corpus, statumque

que presentis morbi, cum omnibus doloribus & incommoditatibus. Quatenus concipiat fervens desiderium ac votum, per quod optet omnes voluntates Dei, omnia consilia & desideria erga se animæ Jesu Christi, perfectissime adimpleri in se, usque ad ultimum momentum.

5. Monendus est, ut omnia sua desideria, suspiria, languores & dolores uniat cum doloribus & languoribus Jesu Christi in cruce patientis, & ad mortem usque ex obedientia Patris se humiliantis; ut ex unione illa, accepta etiam fiant Patri æterno.

6. Moneatur concipere specialem devotionem & attentionem, tum ad agoniam Christi in Horto Patrem orantis; tum ad tres illas horas, quibus languens in summis cruciatibus pendit in cruce, valido cordis clamore, cum lachrymis & suspiriis, orans pro omnibus afflictis, ipse derelictus est afflictissimus, Vir dolorum, novissimus virorum.

7. Proponenda est ei specialis de-

votio ad cor Jesu amorosum lancea aperta, in quo fons omnis consolationis & gratiæ reperitur, & omne bonum: atque per illam portam pietatis patet ingressus ad misericordiam, ad vitam & gloriam. Jungat ergo sapius cor suum, & uniat illud cordi amoso Domini nostri Jesu Christi, à quo omne bonum & meritum. Unde si aliquando diffidentia aliqua obrepit à sathana immissa, confidenter dicat cù D. Bernardo: *Ego quicquid mihi deest, usurpo ex vulneribus Domini nostri Jesu Christi, quia misericordiâ affluunt, nec desunt foramina, per qua effluant.*

8. Moneatur rogare Deum: *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me neque projicias me. Deus ne elongeris à me Deus meus in auxilium meum respice.* Ad hoc autem juvabit ei proponere ut specialiter deprecetur Dominum, quatenus in extremis, cum amplius loqui non dabitur aut intelligere, velit ipse acceptare omnia suspiria ad extremum halitum usque; quæ quidem ex nunc illi offerat, optans ut toties quoties recipi-

abit, tot sint resignationes & oblationes cordis sui palpitantis; ad cor Jesu, & ad voluntatem ejus perfecte semper adimplendam, respirantis.

Denique, edocendus est iaculatorias aliquot orationes breves, sive ex Psalmis sive ex Litaniis, aut precibus Ecclesie, quibus frequenter & ferventer affectum cordis possit renovare. Et his etiam utatur Sacerdos coram ægro, breviter insinuando, potius quam prolixo discursu, aut exhortatione, quæ quãdoquã non solum inutilis est, sed molesta illi qui capite & auditu debilis est.

Hæ autem breves oratiunculæ, modo ad Patrem, modo ad Christum, modo ad Spiritum S. dirigi possunt, modo ad Virginem, aut Angelum custodem, vel Sanctum, cujus particulari protectioni se æger commiserit. Apud illos qui rudes sunt & illiterati, sufficet eas depromere ex Oratione Dominica, Symbolo, aut Salutatione Angelicâ. Unaquæque enim petitio Orationis Dominicæ cum affectu elevata & raminata, efficaciter potest

animum ægri afficere & reficere. Quid enim melius potest æger in ore habere, quam illud: *Pater sanctificetur nomen tuum?* Aut illud: *Pater fiat voluntas tua.* Aut illud: *Adveniat Regnum tuum.* Aut denique illud: *Et ne nos inducas in tentationē, sed libera nos à malo.* Quid ad Virginem efficacius dirigi potest, quam istud: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc in hora mortis.* Aut istud: *Maria Mater gratia, Mater misericordia, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.*

Hæc modo sufficiant de hac re breviter insinuata, de quibus forsitan fusius potero alibi ex professo disserere, Tractatu eo hac re speciali,

CAP. III. De Extrema-Vnctione & aliis Sacramentis tempore Pestis ministrandis.

**Q**ueritur, an in rigore Theologico loquendo, teneantur Pastores peste infectis Extremam-Vnctionē administrare? Resp. I. multas Synodos Diœcesanas in Belgio videre ita ordinare, Cameracensis T. 5. c. 10. Iprensis T. 8. cap. 1. Audomarensis Tit. 19. c. 1. Leod. T. 4. c. 8.

Atta-